DE ARTHRITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... AD MEDICINAE LAUREAM RITE...

Oreste Ugolotti

DE

ARTHRITIDE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.re FRANCISCO FLARER

REI OCULARIAE P. O.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

publicae disquisitioni subiicit

UGOLOTTI ORESTES

MANTUANUS

TICINI REGII

Ex Typographia Bizzoni

1845.

A VOI

PADRE AFFETTUOSISSIMO

QUESTE PAGINE

IL FIGLIO

MEMORE DELLE INCESSANTI

VOSTRE CURE

RICONOSCENTE

DEDICA.

DE ARTHRITIDE.

Arthritis, Arthralgia, malum articulorum, doɔr juncturarum etc. est ille morbus vitae pro·uctivae, qui in abnormi paratione materiae nimalis consistit, quod productum morbosum ub forma salis urici se sistens, ac inprimis xtremitatum articulationibus se apponens, inlammationes eorum, nodos producens, et natura sua heterogenea sanguinis circuitum turɔans, systema chilopoeticum, urodeicum in ıbnormes functiones ponendas provocans et ıon raro febres excitans. E diversis symptonatibus consideratis cum quibus morbus hic ;e manifestat, tres ejus formas a se invicem listinctas discernere possumus, utpote: 1. Dis:rasiam arthriticam, 2. Arthritidem genuinam, ɛt 3. Arthritidem anomalam, vagam (larvatam).

1. Discrasia arthritica est solum species ɛjus quam universim discrasiam abdominalem ⁄ocamus, et est maxime affinis discrasiae illi]uae favet calculis formandis. In utroque casu :anta quantitas acidi urici in renibus generatur, et urina ipsa constanter et praevalenter ıcide reaget; in utroque casu, normalis alcalescentia sanguinis est imminuta. Juxta Robert

sanguis plane arthriticorum nonnunquam acide reagit; praevalens haec copia acidi urici efficit, ut virtus ejus emmineat super alcalia in sanguine contenta. Ex hac causa sanguis arthriticorum in coagulum pronior est, continetur in eo plus fibrinae minus seri, reliqua vero signa quae discrasiae hujus praesentiam indigitarent, sunt valde multifaria, minus constantia et ad morbum exacte describendum minus idonea. Potest discrasia haec longiori tempore organismum inhabitare, quin sufficienter per sensationes peculiares et symptomata propria characterem hujus morbi cognoscamus. Mutatio contingens in secretione renum, tenet saepe longiori tempore aequilibrium cum reliquo organismo, cum productum morbosum climinet per longius tempus ita, ut caetera graviora symptomata hujus morbi nec evolvantur. Hinc ad discrasiae hujus praesentiam determinandam necesse est momenta morbum praecedentia in censum sumere. Hunc pertinent :

a) Dispositio haereditaria. Homines omnis aetatis et omnis generis sub maxime differentibus circumstantiis possunt discrasiam arthriticam aquirere, quae a tenerrima aetate latere potest in organismo, quin evolutionem altiorem nancisceretur, solummodo, tempore pubertatis vel extra id eminenter faventibus circumstantiis, incrementa capit. Attentio convertenda in omnes progenies arthriticorum. Ut prae-

sentiam morbi hujus determinare valeamus praeprimis individui de hoc morbo suspecti perpendere oportet. In genere digestio non est turbata, cibi animales avidissime assumuntur, cibis vero absumtis calor animalis adaugetur imprimis turgor faciei cum splendore oculorum ut visibilia phoenomena se ob oculos sistunt, circuitus sanguinis est celerior, pulsus sunt duriores. Tunc cutis est sicca nonnisi pluribus horis ab commestione comparet peculiarem odorem acidum exhibens sudor, nonnunquam majorem plagam corporis occupans, frequentissime et constanter in axillis et in facie interna femorum. Urina constanter et fortius acide reagit et sedimentum crystallinum in fundo vasi deponit, saliva est spissior acescens.

Signa hae possunt, insimul, alternatim vel in connubio cum epistaxi, haemorrhoidibus, dismennorrhoea, doloribus rheumaticis, gastricismo, aegrum intestare. Saepe mutatis rerum adiunctis et vitae genere sueto in longe absimile mutato, evanescunt saepe per intervallum longius, non raro ex toto; favent vero evolutioni ejus eminentiori omnes ii influxus, qui sanguinis plasticitati majorem in modum favent, quales sunt: nutritio lauta, ut cibi animales copioso aromate conditi; nutrimenta, quae multum acidi liberi tenent, imprimis vina cremore tartari abundantia, vita multum sedentaria vel talis ubi summam corporis commotionem ad delassationem protractam quies longa excipit,

ec tandem per refrigerium, et quidquid transpirationem cutis suprimit.

b) Individualitas, non habita dispositionis ratione quodlibet individuum morbus hic affligere potest, specialis tamen, dispositio exsurgit in eum, per aetatem virilem, constitutionem corporis robustiorem, sexum masculinum et per temperamentum sanguineo-cholericum. Momenta hae evolutioni discrasiae arthriticae sunt perquam faventia.

c) Vivendi modus. Quamvis arthritis pure divitum dici nequeat, nihilominus in quantum haereditate acquisita non est praevalenter et eminenter morbum frequentem constituit eorum qui cibis animalibus et vino largius indulgent et simul frequens refrigerium admittunt.

d) Habenda est etiam ratio connubii quod arthritis cum aliis morbis frequenter init. Cum autem discrasia arthritica tantum speciem discrasiae venosae constituat concludimus a praesentia et symptomatibus prioris eo certius ad praesentiam posterioris, quo magis circumstantiae reliquae faventes hanc specialem formam provocant. Consideratis his omnibus momentis agnoscimus discrasiam arthriticam adesse, etsi localia symptomata non praecesserint, neque paroxismus nos plenariae convincit. Ceterum arduum erit cum certitudine discrasiam agnoscere, nisi symptomata topica morbum adesse indicaverint. Etsi morbus persaepe momentaneae evolvatur, plerumque tamen praecedunt

symptomata et praecursores ejus, uti dolores pungentes successive quasi ab ictu electrico provenientes, saepe breviori tempore durantes alias per annos recurrentes, de regula prius extremitatc inferiores serius superiores infestantes. Hic dolor punctorius respectu intensitatis suae varius est, saepe persentitur tantum leniter pungens, dum alia vice adeo vehemens, ut fibrae musculares spasticae contrahantur, et in casibus nonnullis striae sanguinolentae decursum et extensionem doloris exprimentes cernantur. Sunt hi dolores alias centri petentes alias centrifugi, vel interdum permeant diagonaliter partem adfectam. Omnis attactus et omnis actio mechanica adauget dolores, qui saepe diu emanent, redeunt vero subito et inopinate, sine causa praecedente, vel sub motu inopinato aut percussione, aut dum exponit se aeger tractui aëris et sic porro. Haec itaque symptomata constituunt indicia infallibilia evolvendae arthridis.

2) Arthritis genuina. Distinguimus in hoc morbo duplicem formam; Arthritidem genuinam acutam et chronicam, sicut respectu sedis quam occupat utpote podagra (pedes), chyragra (manus), gonyagra (genua), peschiagra (cubitum), rhachiagra (columna vertebralem) nominatur.

a) In Arthritide acuta posteaquam discrasia arthritica sufficienter evoluta est, causis occasionalibus agentibus praecedunt prodroma lac-

sae caenestesis; digestio est turbata, calor adauctus, animus depressus, sapor fatuus aut amaricanus, lingua muco albicante vel flavicante obtecta, alvus morosa, constipa. apetitus imminutus vel nimium adauctus; hae mutationes comparent tamquam signa sanguinem materia animali impregnatam esse, et qua symptoma inertiae renum hanc superfluam non secernere valentium quare vicariae fiunt secretiones. Apertum est renes in omnibus febribus momentosam et characteristicam ludere scenam, sic etiam in paroxismo arthritico eorum permutata actio se manifestavit superflua copia acidi urici in urina continuo imminuitur, et sales qui in eorum copia superflua solvebantur, facile praecipitantur; urina est turbida, serosa, profundioris coloris. Dolor in renibus saepe tensivus, in vesica urinaria vero et urethra urens persentitur, nonnunquam dolores vagi totum corpus permeantes infestant, simul tumores et suffusiones in partibus arthritide affectis conspiciuntur. Ex his itaque symptomatibus, imprimis apud illos qui arthritide haereditaria affecti sunt, facile concludimus ad insultum imminentem. Si autem repente post refrigerium morbus hic oriatur, tunc nisi respexerimus discrasiam arthriticam, difficile est a rheumatismo articulorum acuto distinguere. Dantur tamen aliqua signa quae nos etiam sub paroximis simillibus attentos reddunt. Paroxi-

mus acutus arthitide primario fere semper in forma podagrae incedit, ubi rheumatismus acutus potius articulos extremitatum majores infestat. Etsi ad attactum dolor in rheumatismo acuto sit minor quam in arthritide, inquietudo tamen et mutatio situs est in hoc major quam in illo. Indicia characteristica autem affectionis arthriticae sunt plexus venosi tumidi, dilatati in partibus arthritide affectis.

Arthritis in primis noctu post somnum paucarum horarum comparet, nempe se insinuat: dolor quem Sydenham comparat cum eo, qualis in luxationibus articulorum percipitur, cum sensu ac si aliquis partem adfectam aqua frigida perfunderet, dolor hic incipit in haluce, qui dein ulterius diffunditur, tandem sequitur horripilatio in febrim transiens, dolor continuo intensior evadit, et varius est pro diversitate ossium quorum articulos invadit, mox rodens, mox premens, qui ad omnem pressionem et motum adaugetur. Febris uti et dolores sub continua mutatione situs, per 5-6 horas continuo crescunt, donec tandem subito evanescunt, quod saepe aeger situi mutato adscribere vult. Post hoc oritur transpiratio largior, pars affecta magis intumescit, sudoremque majori copia multum olentem secernit, qui dolorem imminuit, quo dein aeger defatigatus iterum obdormit, et evigilat cum dolore miti. Dolor hic continuo perseverat et

denno increscit, qui dein vel solus vel cum febri noctibus sequentibus continuatur; saepe mitigato dolore in una extremitate, in alia majori vi increscit. Urina sub paroxismo est alcalina et multum colorata.

Primus paroxismus arthritidis genuinae solet semper inter 14 dies comparente sudore largo et frequenti cursum suum finire, et intensitas paroxismorum videtur ex observatione aegrorum esse in ratione directa cum exstinctione discrasiae, quoniam intermissio tanto longior est quo intensiores singuli paroxismi decurrebant. Raro alia, post primum arthritidi paroxismum acutum sequitur sequela, quam quod cutis leviter desquammatur et forte adhuc perdurans sensibilitas quae post majorem motum et attactum rudiorem dolorem excitat. Non raro aegri insultum dolorificum arthritidis regularis tantum semel per annum experiuntur, et quidem semper uno eodemque tempore, frequentissime sub finem hiemis, vel incipiente autumno. Paroxismi hi semet excipiunt intervallis jam longioribus jam brevioribus concessis, omnis nova invasio ad reactionem debiliorem reddit partem adfectam. Is qui in principio a levi inflammatione proveniens tumor erat, incipit exsudatione quae materia exsudata sensim induratur in tophum arthriticum. Tophus constat ex materia terrea deposita in capsulis articulorum vel in illis locis ubi arthritis vel normalis vel ano-

mala sedem figit, partes constituentes praecipue materiae hujus sunt: acidum uricum natro unitum et pro parte cum calcaria iunctum. Fourcroy, Andral et alii etiam acida libera urica vocant. In nonnullis casibus etiam phosphas calcis inventus est. Compositiones autem horum non sunt ita noti ac calculorum, analogia tamen cum his tam quoad compositionem, quam etiam illorum originem, est summa. Quaevis cellula serum materia arthritica impregnatum continens, et cujus vasa paulatim illam vim perdiderunt materiam hanc absorbendi, comparari potest cum vesica urinaria, in qua concrementum ortum est, quod amplius non solubilis, et conglomeratum in cellula per evaporationem seri ortum, materiae hac ejusdem naturae sunt, qui tantum ideo diversa phaenomena producunt, quia organa in quibus formantur diversa sunt. Et qua tales ut tophi, mobilitatem articulorum impediunt, provocant inflammationes, causant ankyloses et ulcerationes, per quas non raro materia terrea in granis parvis, saepe etiam in maioribus frustris in conspectum veniunt et deformant artus, imprimis autem manuum. Haec autem species arthritidis nodosa vocatur, non tamen consideranda est ut necessarius exitus arthritidis regularis, arthritis haec nodosa potius videtur esse in ratione directa cum causis, quae functionem debilitant, et turbant. Hinc nodi tales in regioni-

bus humidis septentrionalibus sunt frequentiores, quam in meridionalibus.

Ast serius vel citius redeunt insultus, primo quidem longiori temporis intervallo post tres vel 4 annos, serius omni anno semel, dein bis, vere et autumno, donec tandem sine intermissione excruciant. In his recidivis ordo iam turbatur ita ut ex uno articulo ad alium vagetur quam primum pedes, tamquam propriam sedem derelinquit, unde patet reactionem discrasiae subiectam esse. Modo dolores cum ceteris symptomatibus minores evadunt, febris vero sequente debilitate cessat, et sic transit arthritis acuta pedetentim in chronicam.

Insultus arthritidis chronicae similes sunt insultibus arthritidis acutae, eo tamen differunt, quod in arthritide chronica insultus sunt longiores, citius redeunt intensitate minores. Sub paroxismis continuo durantibus vix intermittentibus arthritidis chronicae novi exoriuntur paroxismi acutiores. In casibus ubi plures articuli semel afficiuntur, increscit dolor et febris ad tantum gradum ut difficile sit limites inter utramque speciem arthritidis statuere. Aeger post insultum arthriticum acutum denuo gaudet tam physica quam psychica sanitate, mala illa, quae post insultus plures semet excipientes oriuntur, ut tophi, tumores arthritici longiori tempore durantes motumque extremitatum impedientes, sunt prima in-

dicia morbi irradicati. Nunc autem se monstrant symptomata universalia, praeprimis dispepsiae, ructus, pruritus cutis, habitus corporis tumidus vel macilentus, dolores intensi spastici, in partibus arthritide adfectis dolores tensivi, pressivi, terebrantes, spasmi et convulsiones musculorum, praeprimis noctu, in renibus et vesica urinaria symptomata illis, a calculis productis similia, haemorrhoides, pituitositates. Saepe iungitur vel commutatur cum hoc morbo, asthma pituitosum et obstructio. Si tophi paulatim imminuuntur remanet tamen in his locis species propria tumoris et summa dispositio mali redeuntis. Character semper consistit in diversa constitutione corporis.

3) Arthritis anomala, vaga (larvata). Quousque arthritis in articulis sedem suam figit, potest quidem ut observatur periculosissimis exitibus ansam dare, sicut et iam pro se morbus sit horribilis et summe excrucians. Summopere augetur periculum quam primum morbus hic locum suum mutat, vel iam ab initio illum non figit. Superfluum acidum uricum materiae animali admixtum, quousque in solutione persistit, eliminatur per organa urinam excernentia, et tantum exiguas causat molestias, quae proveniunt ex irritatione membranae mucosae vesicae urinariae et urethrae. Molestiae haec augentur quam primnm praecipitationes sabuli formes in vesica urinaria

vel ipsis renibus locum habent, quorum evacuatio mechanicam causat irritationem. Si calculus formatus est, cognoscitur his ex evacuatione urinae impedita, dolore imminuto in ambitu vesicae urinariae etc. In omnibus his casibus vita vegetativa primitus afficitur, quae serius in conspectum veniunt symptomata sunt sequelae productionis morbosae, non autem morbi.

Sequelae nitentis materiae arthriticae locum certum occupandi impeditae, sunt secundum Boerrhaave: apoplexiae, paralyses, debilitates, sopores, tremores, convulsiones universales, si cerebrum petiit asthma, tussis suffocatio, si in pulmones; pleuritis, tussis convulsiva, si pleuram adgressa; nausea, anxietas, vomitus, ructus, tormina, spasmi viscerum, si viscera abdominalia subintravit, est fere incredibile quot morbos creat, saepe subito lethales etc. non est difficile has et alias affectiones, uti nephritidem arthriticam, temulentiam, epilepsiam et plura alia, reducere ad suas causas, vel ad minimum cognoscere summum nexum cohaerentiae cum arthritide quam primum insultus posteriores se insinuarunt, vel sola dispositio haereditaria summenda est. Non raro occurrunt morbi cordis, asthma, digestio perversa, colica, spasmi ventriculi, secretio urinae immutata, temulentia, amblyopia; antequam arthritis genuina exoriatur, tum attentionem nostram dirigere debemus ad diathe-

sim et ejus decursum, nam omnes hae molestiae tam quoad periodicitatem, anni tempus, secretionem sudoris et urinae inter se conveniunt. Directa attentio in modum vivendi dolores transitorios locales, pungentes et investigatio secretionis urinae, sudoris et ipsius salivae, hic nos magis edocet. Fors clariorem diagnosim nobis reddet investigatio alvi, praeprimis in casibus ubi aegri simul dispepsia laborant, nam nullum est dubium quod vasa ventriculi et tubi intestinalis vicariam quandoque functionem vasorum articularium perficiant.

Insultus arthriticus solvebatur in uno casu postquam aeger materiam nauseosam acidam evomuisset, cum sensu summe ingrato, qui incipiebat in haluce ascendit ad musculos cruris, femoris et intestina, quo tum aeger fere tres medias fluidi acris similis acidi mineralis vomitu eiecit. Post 12 et 20 menses sequens similis casus aderat cum eodem effectu. Sic narrat Albertini se observasse in se ipso, quod ille invasionem quodlibet anno recurrere solitam, semel per inunctionem petrolei fugaverit, postea vero ingenti enteralgia vexatus, hanc insecuta est alvi evacuatio similis gypso recenter indurato, cum magno levamine. Consideratio horum excretorum nos conducere potest, ad cognitionem naturae morbi. Interim arthritis larvata est morbus, quae eandem causam communem cum discrasiis

venosis, ac ea arthritis articulorum, agnoscere potest, et in casu dubio sine omni malo consectario, iam uni iam altero adligari potest. Aliter se res habet cum anomalo vel vago insultu, qui postquam partes externas agressus est, organis internis periculum minatur, sub quo peculiaris attentio in partem iam antea adfectam non minus ac in alia quaecunque discrasia, dirigenda est, quae metastasim periculosam habuit.

Non minus oculus, qui respectu singularitatis structurae suae, multifario respectu veram et constantem sedem constituit quam artheritis occupare nititur, meretur hoc respectu peculiarem attentionem: amblyopia, amaurosis. Interdum materia arthritica petit systema cutaneum, vel sub forma herpetis abdominalis, vel sub forma ulceris, aliasque innumeras anomalias systemati huic inferens, ut saepe difficillima sit morbi diagnosis, singulasque hic enumerare anomalias pertractationis huius limites excederet, quam ob causam sufficiat hic mentionem harum instituere, uberiorem harum descriptionem exigentes ad opera medicorum in fine huius pertractationis citata relegando.

PROGNOSIS.

Arthritis est morbus difficulter curandus, facillime recidivam admittens, dolorificus,

in decursu suo per anomalias et metastases cito periculosissimus evadit, vel paulatim vitam in periculum ponens. In genere morbus hic altas in organismo figit radices, difficillime extirpandas. Verum est, quod in decursu regulari arthritidis, respectum habendo ad paroxismos, ad diaetam morbo adaequatam, homo seram aetatem acquirere potest, in clymate vero calidiori, ubi temperies minus mutatur, cutisque functio non turbatur, possumus longiorem decursum regularem huius morbi exspectare. In exito vero semper illac tendit, ut Sydenham asserit: tandem aeger visceribus a materiae peccantis incubatu complexuque ita laesit, ut secretionis organa non amplius suo munere fungi queant, unde et sanguis quasi limo et foeculentiis refertus stagnat et materia peccans non iam, ut olim solebat, in corporis extremitates disploditur atque reiicitur: tandem, vitam adflictissimam et iam diu non vitalem cum morte, aerumnarum requie, feliciter commutat. Formae sub quibus hi exitus semet exerunt, sunt diversae. Mox est chronica, non amplius intermittens morbus, cum incurvatione articulorum, immobilitate ac dolore earundem, quibus paulatim vita atterritur, mox repentinae semet insinuant metastases per depositionem materiae arthriticae ad membranae cerebri, pleuram, pericardium, ad pulmones, quibus subitaneae lethalespleuritides, asthma, hydrothorax, apoplexia pulmonum inducuntur.

Metastases quae a congestionibus validis inducuntur pro parte characterem specifice inflammatorium assumentes, sanguinis evacuationem, ut indicationem vitalem reposcunt. Mox oriuntur graves et lethales apoplexiae, diarrhoeae, adfectiones renum ex eadem causa, vel moritur aeger in sequelam efformati calculi, qui hic tantum symptoma arthritidis constituit. Etsi tam excrucians morbus sit, systema tamen nervosum minime primario ab eo adficitur, et id, quod paralysim arthriticam nuncupant est semper tantum vel immobilitas vel contractura artuum, in cuius cansa sunt tophi, affectiones musculorum vel paralysis ex congestione, cuius causa semper radicatur in discrasia mixtione sanguinis. Arthritis haereditate acquisita prouti et tophosa, (quod tantum de simplici arthritide articulorum dici potest) difficillime sanationem admittit. Anomala arthritis est semper periculosior simplici, et hanc in simplicem transformare, est conamen therapiae. In primis invasionibus arthritidis regularis, ubi illa ut tantum morbus purificatorius comparet, sanationi nihil obest. Ubi iam chronica evasit invasiones longiores fiunt, et dolores minus vehementes, tunc iam semper difficilior erit mixtionis abnormis normam reducere.

THERAPIA.

Contenplabimur therapiam morbi hujus ex 4-or indicationibus generalibus: Curam discrasiae, arthritidis genuinae, anomalae et metastaticae.

1) Cura discrasiae arthriticae. Podagra dicit Frid. Hoffmannus, est morbus dominorum, unde qui hoc malo cupit liberari servus fiat necesse est. Assertum hoc valet in plurimis aegris arthriticis; interim datur tam manifesta dispositio arthritica ut et si vita dominalis commutetur cum vita operarii minime estinguetur, ut vix dici possit, quod lauta vivendi ratio produxerit. In hoc casu omnes illae potentiae nocentes in genere producendo rheumatismo et catarrho faventes, sunt etiam provocantes arthritidis, sola admissio refrigerii, sufficit, arthritidis affectiones producere.

Ad haec duo momenta attentionem nostram dirigemus. Primum est:

a) Imminutio materiae animalis. Huc pertinent remedia consistentia in diaeta vegetabili et largo usu aquae, quae solvendo et eliminando materias superfluas, per cutim, renes et intestina, promovent. Antiquiores putabant hausta larga quantitate aquae debilitatem produci, et aliquis loco aquae cerevisiam hauriendam suasit. Id quod certis sub circumstantiis, certo clymate, et certis temporibus valere potest; ad

resolutionem vero facilitandam materiae hujus in organismo humano aqua est maxime indicata, nullo cum remedio commutanda. Esto, ubi diaetam hanc subito suscipere non possumus, ob irritabilitatem exaltatam et consuetudinem, ibi tantum gradatim procedere licet. Suaserunt curam diaeteticam arthritidis suscipere usu lactis, quod in casibus nonnullis cum effectu bono successit. Optime convenit methodus hic juvenibus arthritide haereditaria affectis; Mead omnes tentationes ad penitus tollendam diascrasiam in provectiori aetate susceptam pro summe periculosis declarat. „Vult tamen aliquis, dicit ille tamen hoc experimentum facere non timens periculum secuturum, monendus est, ut aeger sit juvenis, et non ultra duos aut tres insultus arthriticos perpessus. Vinum autem et omnes potus spirituosos scrupolose vitet et solum potui aquoso se dedicat. Cibi ejus sint lactei et vegetabiles, sed tamen semel per diem carnes tenerrimas, ut pullinas, agninas, cuniculi comedat: dietim, commotionem debitam faciat. Diaeta debet et naturae et consuetudini aegri paulatim accomodari. Raro autem expectare possumus extra insultum ab arthriticis diaetam hanc strictam observandam, ideo debemus nota hae remedia nomine pharmacorum adhibere, nutrimenta digestu facillia porrigere, coenam lautam quantum possibile imminuere et sic porro praecipue autem multum aquae pro potu

exhibere. Multi celeberrimi medici causas potentissimas arthritidis agnoverunt esse vigilias nocturnas cum quibus vita excessiva refrigerationesque innitae sunt, dein exhalatio cutis impeditur, quo somno tracto moderata et salutaris arthritico esse solet. Commotio moderata est necessaria etiam in partibus arthritide affectis, utilis autem est tunc commotio haec si omni die sine interruptione continuari potest. In aliis autem casibus secundum observationes Sydenhamii, commotio haec non solum quod sit molesta, sed etiam nocet, ut in non adsuetis paroxismum accelerat. Equitatio recte indicatur.

Per sanguinis evacuationem mixtio hujus morbosa non mutatur, exceptis specialibus indicationibus, ut apud juvenes robustos. Hoffmann laudavit venae sectiones, aequinoctiales, minus tamen recte si illas tanquam curam methodicam adhibuerat. Potius consentire debemus cum Sydenhamo, qui dicit: » per immaturas venae sectiones metastases timendae sunt.» Hanc sententiam plures celeberrimi viri sequuntur. Galenus quidem suadet venae sectionem, ut prophylacticam vernalem, jungendam cum diaeta stricta, natura autem ipsa in nonnullis casibus per haemorrhoides fluentes discrasiam arthriticam mitigat, id ipsum non poterit venae sectio in alio casu supplere. Neque per emetica et purgantia ut observatio docet

materia haec animalis imminuitur quare minus adhibenda, solum in casu ubi sordes accumulatae sunt, indicantur. Multo majori effectu in arthritide adhibentur aquae solventes minerales. Usus itaque internus aquarum salibus alcalinis impregnatarum rectus est ad eliminandam materiam hanc morbosam animalem.

Magni momenti sunt etiam remedia sudorifera. Antiqui adhibebant in his casibus fomenta aromatica, nos autem praeferimus balnea vaporacea, vel solum aquam copiosam hauriendo e fonte cum adequata commotione tranquillitate animi et calore. Hoc sensu maxime explicari potest illa actio novae recorporationis, quae per sic dictam curam aquae frigidae fit, non tamen sine magno periculo. His dictis fere omnia absolvimus, quibus noxii effectus frigoris devinci possunt, secundum principia generalia diaetetica, veniunt in censum adhuc summenda: habitatio, vestitus, clyma.

De remediorum contra discrasiam arthriticam comendatorum usu locuturi mentionem facimus, non dari specificum etsi eorum innumera laudibus praelatae sint palam et omnia medicamenta quae aliquid contra morbum efficere possunt vel cum plane sufferre innituntur solum indicationibus universalibus superius attactis, haec imprimis valet de resinosis. Sola remedia alcalina sunt a quibus aliquid in mor-

bo hoc expectare possumus, quae virtus etiam a Boerhave agnota est.

2) Cura sub paroxismo arthritico. Quamvis paroxismus arthriticus aegro summos causat dolores, tamen secundum assertum omnium fere medicorum decursus ejus non est turbandus sed naturae relinquendus. Febris vero methodo expectativae committitur; febris rarissime in tanto gradu characterem inflammatorium aquirit, ut sanguinis evacuationes necessariae forent; saepe prius praecedere debent emetica vel leniter purgantia, ad removendam complicationem gastricam. Maximam attentionem meretur crisis, quae vel per urinam, vel alvum, vel exudationem cutaneam, vel per depositam materiam in articulis, manifestat. In casu ultimo cum effectu adhibentur, leniter stimulantia, externe calorem foventia, secundum gradum irritationis, jam cathaplasmata emollientia, balnea tepida alcalina, vaporacea et similia, quae remedia resolutioni favent sanationemque promovent. Praesens vera crisis non est turbanda sed potius fovenda et promovenda, in casibus vero ubi ob gradum debilitatis majorem perfici non potest, adhibenda sunt amara, tonica remedia. Evitanda autem est in arthritide acuta omnis topica remediorum applicatio.

Etiam in arthritide chronica, comendatae fomentationes et inunctiones cum oleis aethereis, linimenta, therebinthina, balsama, buty-

rum antimonii, et sic porro sic et magis adhuc periculosa anodina sunt reiicienda. Si leniens remedium in doloribus arthriticis datur tale est moxa, frigidaeque fomentationes quae tamen magis periculosae et solum in praesentia medici periti, adhiberi possunt.

3) Arthritis anomala in genere eandem fere agnoscit therapiam, quam arthritis genuina. Si certa haberemus pharmaca quibus normalem paroxismum arthritidis producere possemus magnum inde redundaret lucrum pro hac forma; generatim tantum debilitati universali prospiciendum est, quae curam roborantem requirit. Hinc aquae alcalinae et salino-martiales magnam merentur attentionem, in curanda arthritide anomala. Posteaquam indicationibus universalibus discrasiae arthriticae satis factum fuisset, tunc cura localis est suscipienda. Sic e. g. in amblyopia arthritica solum derivantia progressum morbi impedire possunt, et in quantum possibile curam eo dirigere debemus, ut insultus regulares provocentur.

4) Ad formas periculosas pertinent omnes congestiones, ad organa nobiliora, uti et insultus pure paralytici. Priores, qui apoplexia, paralysi pulmonum, hydrothorace et aliis similibus terminantur, debent prius per sanguinem evacuantia et deprimentia remedia impugnari, non respiciendo causas universales, in iis casibus ubi paroxismi regulares jam adfuere in usum vocamus applicationem remediorum an-

tagonismo agentium, uti acrium, moxarum et aliorum irritantium. Directa phaenomena paralyseos, solent in arthritide suppressa praecipue ventriculum petere, in quo status torpidus ingruit, quem statum ejus permaxime irritantia tollere adnitimur. Huc spectant remedia aetherea, drastica, acria et plura alia, attamen conatus nostri effectus desideratio vix gaudebunt, nisi conamen authocratiae naturae topicam adfectionem articulorum reduxerit.

FINIS.

THESES.

1. Inter corporis exercitia salutaria venatio princeps.

2. Faeminae sub primo concubitu raro faecundantur.

3. Nulla haemorrhagia ab initio passiva.

4. Morbi quandoque salutares.

5. Exanthema peticulare semper symptomaticum.

6. In Medico patientia pernecessaria.

7. Sulphatem chininae in arthritide caeteris antecellere pharmacis.

8. Non omnes dolores venae sectionibus vinci.